

Prefatio Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 384, fol.1r)

Cum beati Iohannis crisostomi super euangelium sancti Mathei due expositiones, ut pote ab eo condite proferrentur, et nulla earum debito fine integra expleta esse perhiberetur, Dominus papa Eugenius tertius, ubi per omnia diligentissimus ceu omnium pater communi orbis terrarum utilitati inuigilans predictas commentationes congrue consumationi tradere satagebat. Verum quia citra mare ideo pia exemplarium effectui mancipare hoc minime poterat ad transmarinas statuit dirigere partes. Ad antiochenum igitur patriarcham scribens, quod predictis commentationibus deerat, eius interuentu ab aliquo interprete suppleri ammonebat. Ipse autem siue desidia, siue inscitia interpretum ignoro hoc minime complens, expositionem eiusdem sancti Iohannis super eundem euangelistam grecis litteris scriptam, eidem summo pontifici mandare curauit. Quam cum presul ille accepisset, mihi burgundioni iudici suo natione pisano id idem mea enucleatione perficiendum commisit. Mea igitur relatione eam a predictis duabus omnifariam discrepare cognoscens, et hanc tertiam prouulgare editionem, michi precepit. Cumque non immensi uoluminis prolixitate solum, sed et stili altitudine et sententiarum profunditate id meas omnimodo excedere uires autumarem, primitus hunc laborem subire renitens, in arto undique constitutus, tandem eius orationum meritis confidens et correptione eius, quam toti operi imponere promisit subnixus, mandatis eius obtemperare summo nisu proposui. Ac preter spem breui temporis spatio diuina fauente gracia, septem ferme mensium inter capedine integrum id opus de greco in latinum fideliter transtuli sermonem. Tantique uiri seriem qualitercumque mutare nequaquam dignum fore existimans uerbum de uerbo reddidi non sensum solum, sed et ordinem uerborum in quantum potui sine alteritate conseruans, ut non minus ex sententiarum lepore, quam et characteris proprietate sancti huius Iohannis, hoc esse opus incuntanter credatur. Et ex orthodoxe fidei traditione luculentiori indagazione hic explanate, hic tertia reliquie duabus editionibus solertis lectoris iudicio, non immerito preponatur. Siquis autem hic secus quam opus positum inuenietur non huius sancti, sed mea culpa gestum id esse putetur. In unaquaque igitur die dominica populum singula alloquens oratione, in nonaginta omelias librum hunc congrua coequalitate diuisit nullamque fere totius euangelii secundum matheum dictione, misterio uacuam dereliquit. Et otiose textui insertam, fuisse ostendit. Et ut commodius, que singulis dicebantur memorie commendarentur, uelut quandam catenam una continuitatis complexione contextam totum euangelium a principio usque ad finem in se ipso connexum, mira transitionis copulatione subiungit ut totus hic liber, uelut unum integrum corpus, his omeliis compactum esse appareat. Et ad moralitatem potius quam ad allegoriam, omnia reflectens, ex instanti sibi euangelii decisione mirabiliter occasionem suscipiens, in morale semper unumquemque concludit sermonem. Et eundem omnibus uirtutibus disputet uitiaque confutet, aduersum superbiam et auaritiam in omnibus fere suis orationibus, maxime inuehitur. Ad elemosinam uero continue nos promouens, plures huius libri sermones, in eam consumat. Huiusce igitur librum nostra instantia completum, uestre maiestati sanctissime pater offero, ut uestre celsitudinis emendatione libratus, et uestra auctoritate subnixus, in uniuerso orbe terrarum expansus eniteat. Quatinus pluribus spiritualia hinc pabula lucrantibus longeuam prospere inuentes uitam, centuplum hic accipiatis et in futuro eternis fruamini bonis, amen.